

# OVIDII METAMORPHOSES LIBER I

In nova fert animus mutatas dicere formas  
corpora; di, coeptis (nam vos mutastis et illas)  
adspirate meis primaque ab origine mundi  
ad mea perpetuum deducite tempora carmen!

Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum                    5  
unus erat toto naturae vultus in orbe,  
quem dixere chaos<sup>1</sup>: rudis indigestaque moles  
nec quicquam nisi pondus iners congestaque eodem  
non bene iunctarum discordia semina rerum.

(...)  
sic erat instabilis tellus, innabilis unda,  
lucis egens aer; nulli sua forma manebat,  
obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno  
frigida pugnabant calidis, umentia siccis,  
mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus.                    20

Hanc deus et melior litem natura diremit.  
nam caelo terras et terris abscidit undas  
et liquidum spiso secrevit ab aere caelum.  
quaes postquam evolvit caecoque exemit acervo,  
dissociata locis concordi pace ligavit:                    25  
ignea convexi vis et sine pondere caeli  
emicuit summaque locum sibi fecit in arce;  
proximus est aer illi levitate locoque;  
densior his tellus elementaque grandia traxit  
et pressa est gravitate sua; circumfluus umor                    30  
ultima possedit solidumque coercuit orbem.  
(...)

Inminet his aer, qui, quanto est pondere terrae  
pondus aquae levius, tanto est onerosior igni.  
illuc et nebulas, illuc consistere nubes  
iussit et humanas motura tonitrua mentes                    55  
et cum fulminibus facientes fulgura ventos.

His quoque non passim mundi fabricator habendum  
aera permisit; vix nunc obsistitur illis,  
cum sua quisque regat diverso flamina tractu,  
quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum.                    60  
Eurus ad Auroram Nabataeaque regna<sup>2</sup> recessit  
Persidaque et radiis iuga subdita matutinis;  
vesper et occiduo quae litora sole tepescunt,

<sup>1</sup> chaos apud Graecos interpretatur vacuum.

<sup>2</sup> Nabataeorum regna in Oriente fuerunt.

proxima sunt Zephyro; Scythiam<sup>3</sup> septemque triones  
horriter invasit Boreas; contraria tellus        65  
nubibus adsiduis pluviaque madescit ab Austro.  
haec super inposuit liquidum et gravitate carentem  
aethera nec quicquam terrenae faecis habentem.

Vix ita limitibus dissaeperat omnia certis,  
cum, quae pressa diu fuerant caligine caeca,        70  
sidera coeperunt toto effervescere caelo;  
neu regio foret ulla suis animalibus orba,  
astræ tenent caeleste solum formaeque deorum,  
cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ,  
terra feras cepit, volucres agitabilis aer.        75

Sanctius his animal mentisque capacius altae  
deerat adhuc et quod dominari in cetera posset:  
natus homo est, sive hunc divino semine  
fecit ille opifex rerum, mundi melioris origo,  
sive recens tellus seductaque nuper ab alto        80  
aethere cognati retinebat semina caeli.  
quam satus Iapeto<sup>4</sup>, mixtam pluvialibus undis,  
finxit in effigiem moderantum cuncta deorum,  
pronaque cum spectent animalia cetera terram,  
os homini sublime dedit caelumque videre        85  
iussit et erectos ad sidera tollere vultus:  
sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine,  
tellus induit ignotas hominum conversa figuræ.

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,  
sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.        90  
poena metusque aberant, nec verba minantia fixo  
aere legebantur, nec supplex turba timebat  
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.  
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,  
montibus in liquidas pinus descenderat undas,        95  
nullaque mortales praeter sua litora norant<sup>5</sup>;  
nondum praecipites cingebant oppida fossæ;  
non tuba derecti, non aeris cornua flexi,  
non galeæ, non ensis erat: sine militis usu  
mollia securæ peragebant otia gentes.        100  
(...)

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso  
sub Iove mundus erat, subiit argentea proles,  
auro deterior, fulvo pretiosior aere.        115

<sup>3</sup> Scythia vocabatur a Romanis quaedam Hodiernae Orientalis Europæ pars.

<sup>4</sup> “satus” pro *natus*. natus enim a Iapeto Prometheus est.

<sup>5</sup> “norant” pro *noverant*. novi => nosco, -ere

Iuppiter antiqui contraxit tempora veris  
perque hiemes aestusque et inaequalis autumnos  
et breve ver spatiis exegit quattuor annum.  
tum primum siccis aer fervoribus ustus  
canduit, et ventis glacies adstricta pependit;              120  
tum primum subiere domos; domus antra fuerunt  
et densi frutices et vinctae cortice virgæ.  
semina tum primum longis Cerealia sulcis  
obruta sunt, pressique iugo gemuere iuvenci.

Tertia post illam successit aenea proles,              125  
saevior ingeniis et ad horrida promptior arma,  
non scelerata tamen; de duro est ultima ferro.  
protinus inrupit venae peioris in aevum  
omne nefas: fugere pudor verumque fidesque;  
in quorum subiere locum fraudesque dolusque              130  
insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.  
(...)

iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum  
prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque,  
sanguineaque manu crepitantia concutit arma.  
vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,  
non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est;              145  
inminet exitio vir coniugis, illa mariti,  
lurida terribiles miscent aconita novercae,  
filius ante diem patrios inquirit in annos:  
victa iacet pietas, et virgo caede madentis  
ultima caelestum terras Astraea<sup>6</sup> reliquit.

---

<sup>6</sup> Astraea nomen est Iustitiae deae.